



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 5. Quomodo potest Fidei credibilitas ad vsum applicari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

5. Inefficacia
ad conuer-
tendas ani-
mas.

Hæref. 44. Tandem adnotavi, doctrinam Christi fieri maxime credibilem, ex efficacia eius ad conuertendas animas: contrarium ergo notant Sancti Patres, & Catholici Doctores in doctrinis hæreticorum: nam ordinarie non conuertunt animas ad Christum: neque hoc intendunt, sed pervertunt credentes in Christum, & hoc maxime procurant. Ratio autem est, quia non habent verbum Dei, quod est potens, & efficax ad conuertendas animas: sed habent verbum mere humanum: quod est aptum ad prævertendum, quia ordinarie docent ea, quæ placent sensui, & affectui humano, de quo videri potest Gregor. 8. mor. cap. 2.

Progre-
ditur
ratio com-
paratio ex
cundo mori
uo in sect. 3.
à num. 5.

14. Secundum caput credibilitatis erat *authoritas testificantium, & predicantium doctrinam*: hæc autem maxime deest, in doctrinis hæreticorum, quod maxime notarunt Patres, quia author hæresis ordinariæ esse solet vitij deditus, & ideo fide indignus: maxime autem duci solent spiritu superbiæ: unde Augustin. lib. de Pastoribus cap. 8. Vna, inquit, superbiæ omnes illos genuit, sæpe etiam ducuntur avaritiam, ut de Simone Magolegimus Actor. 8. & Cyprian. notat. lib. 1. epistola 4. & videri potest libro quarto epistola nona, & Epiphani. hæref. vigesima quinta: aliquando vero concupiscentia, & voluptate ducuntur, ut notat Hieronym. Epistola ad Celeriphontem, & Vincent. Lyrinentis contra prophanas vocum novitates: quæ omnia, & alia plura complectitur Paul. 2. ad Timoth. 3. dicens de hæreticis. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, & infra, corrupti mentis, & reprobi in fide.* Similia habet epistola prima capit. quarto, quæ loca ponderat Cyprianus dicta epistola quarta, lib. primo, & epist. etiam 6. & videri etiam potest, Gregor. lib. 3. moral. capit. 17. His accedit, quod regulariter initium hæresis sumitur ex aliqua humana occasione, ut ex indignatione aliqua propter dignitatem non obtentam, vel aliquid simile, quod in antiquis hæreticis, notat Euseb. li. septimo Histor. capit. 33. & Nicephor. lib. quarto, cap. quarto, septimo, & vigesimo, & lib. sexto, capit. tertio. De novis autem hæreticis, & præsertim de Luthero nota est historia, de qua videri potest Coclaus in Actis Lutheri anno 1517. Et Hosius lib. 1. contra Brërium: est etiam nota & notabilis historia Henrici VIII. Regis Angliæ, & similes. Accedit denique quod doctrina hæretica non habet maiorem authoritatem à sequacibus, quam ab Authore, tum quia discipuli doctores hæretici, nec meliores, nec doctiores esse solent magistro: & ad minimum nullum habent indicium insignis sanctitatis, quæ in doctoribus Ecclesiæ catholicæ inuenta est, quod maxime in hæreticis nostri temporis verum habet, quia non solum Evangelicam perfectionem non sequuntur, verum etiam illam condemnant, & reprobant, consilia perfectionis abnegantes: tum etiam quia doctrina hæretica dici non potest in suum testimonium habere consensum populorum: quia licet interdum plures per illam pervertantur, nihilominus, ut dixi, ipsi inter se non consentiunt, & præterea maior pars orbis christiani illi resistit: tum denique quia nullum habet signum supernaturalis doctrinæ aut divini auxilij, quia nec Prophetiā habet, nec miracula, ut iam dicā.

Vitius pro-
gre-
ditur 3.
comparatio
ex 1. motivo
in sect. 3. n. 5.

15. Tertium caput credibilitatis fidei sumebatur ex divinis, & miraculosis operibus, quibus Deus ipse quasi subscribit tali doctrinæ, quæ maxime necessaria sunt, quando doctrina quæ, ut supernaturalis proponitur, incipit introduci, ut indicat Augustin. lib. 10. de Civit. cap. 8. Doctrina autem hæretica nova est, ut dixi, & ab ipsis hæreticis, ut supernaturalis venditur, & tamen in illius confirmationem, nullum miraculum exhibent: signum ergo est non esse divinum, quia ordinarius modus providentiæ divinæ est, doctrinam suam confirmare miraculis, præsertim quando prædicari incipit: quod supra monstratum est de doctrina Ecclesiæ Catho-

licæ. Imo ait August. lib. 22. de Civit. cap. octavo, non solum in principio Ecclesiæ, sed etiam in progressu eius, hanc doctrinam veris miraculis confirmari, quod usque ad nostra tempora factum esse conspiciamus. Et in tot historiis legimus, venon nisi impudenter negari possit. Atque hinc factum est, ut hæretici sæpius miracula edere, vel potius ostentare voluerint: facile autem intellectum est illa esse falsa, & conficta, de quo aliquid videri potest in 6. synod. Actione 15. & Epiphani. hæref. 66. & Tertull. de præscript. hæretic. Et de novis hæreticis alia referunt Alan. in Dialog. 6. capit. 29. 30. & 31. & Bellarmin. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. ubi specialiter de Calvino refert voluisse fingere resurrectionem mortui, & vivum occidisse. Igitur conferendo omnia indicia veritatis, & signa credibilitatis, in utraque doctrina: non solum est evidens Romanam fidem esse credibiliorem, sed etiam solam illam esse credibilem.

SECTIO QUINTA.

*Quomodo possit hæc fidei credibilitas ad v-
sum applicari.*

Hanc quæstionem propono, ut duo, vel tria dubia, quæ circa hanc credibilitatem oriuntur, brevitè explicem, & ita doctrina data clarior fiat: primum dubium est, de qua credibilitate accipiendum sit, quod diximus, obiectum fidei esse debere *evidenter credibile*, nam credibile dicitur per respectum ad fidem: unde sicut duplex est fides humana, & divina, acquisita, vel infusa, ita duplex potest esse credibile, scilicet, vel fide acquisita, vel infusa. Cum ergo dicitur obiectum fidei esse evidenter credibile, vel intelligitur de re credibili per fidem humanam: vel de credibili per infusam: primum videtur insufficiens, secundum autem videtur falsum, & impossibile: ergo. Prior pars minoris patet, quia si obiectum tantum esset credibile humana fide, neque amplius ostenderetur per dictam evidentiam, non posset homo conari, ad credendum illud obiectum, nisi humana fide: quod est contra rationem, & contra sufficientem propositionem obiecti fidei: probatur autem sequela, quia ex vi illius evidentie, solum posset sequi hoc iudicium practicum: *hoc est credendum sicut res alia humana*: ergo solum etiam posset sequi voluntas credendi illo modo: ergo non posset homo conari ad altiorem fidem, quia per voluntatem debet incipere. Altera vero pars minoris probatur, quia non est evidens homini, dari vel posse dari fidem infusam, ut per se constat: quia est supernaturalis, & sola fide creditur: ergo nec potest esse evidens, aliquod obiectum esse credibile per fidem infusam, quia hæc est quasi denominatio formalis ab illa forma, & ideo si possibilitas formæ, non est evidens, nec credibilis illa potest esse evidens. Itē non est evidens Deum dixisse res fidei, ergo neque est evidens illas esse credibiles fide divina.

Dub. 1. An e-
videntia cre-
dibilitatis
hactenus o-
stensa sit hu-
mana tan-
tum vel di-
vina.

Arguitur in-
primis quod
non sit hu-
mana.

Deinde
quod nec sit
divina.

2. Ad hoc vero dubium brevitè dicendum est, *credibilitatem fidei, ut evidentem*, non esse mere humanam, sed superiorem, & perfectiorem. Hoc probat prima ratio facta, & declaratur, quia obiectum fidei proponitur, ut credendum fide tam certa, ut excludat omne dubium, & omnem formidinem, & tam infallibili, ut non possit illi subesse falsum: ergo proponitur ut credendum altiori fide, seu perfectiori, quam sit fides mere humana. Probatur consequentia, quia fides humana, ut talis est, non habet illas proprietates. Deinde proponitur obiectum fidei, ut credendum tanquam dictum à Deo, & non tantum ab homine: ergo proponitur, ut credibile fide divina; nam per hanc fidem, ut sic solū intelligimus illam,

Resolutio
dubii.

illam, quæ in autoritate diuina nititur; obiectum autem fidei eo modo, quo credendum proponitur; sit euidenter credibile: ergo euidentia credibilitatis est per ordinem ad fidem omnino certam, & diuinam.

Notatio 1. da
plicis fidei
disting pro
reponione
ad argum. in
nam. 1.

3. Vt autem rationi dubitandi satisfaciamus oportet distinguere, tam diuinam fidem, quam humanam: dici n. pot. fides aliqua diuina, vel ex parte obiecti, quia est Fides, quæ datur Deo, & in diuina autoritate fundatur: vel ex parte principij quia est fides, quæ à solo Deo dari, & infundi potest: sic ergo dicimus esse euidentem, obiectum fidei esse credibile diuina Fide priori modo sumpta: nam hoc probatur ratio facta, quod tale obiectum hoc modo credendum proponitur, & omnia motiua persuaident hoc modo esse credibile, atq. etiam est euidentem homini, sibi esse possibile credere Deo dicenti; nam si est euidentem posse credere homini, vel angelo, cur non Deo? At vero non est euidentem, tale obiectum esse credibile Fide diuina posteriori modo sumpta: quia non est euidentem, fidem infusam esse possibile. Quod si quis inquit, quia de facto non potest dari in nobis Fides diuina priori modo, quin sit etiam diuina posteriori modo, ac subinde non posse esse euidentem, obiectum esse credibile Fide diuina, vel vno modo, quin etiam sit alio. Respondetur in primis, antecedens non esse certum; nam aliqui existimant posse dari fidem diuinam ex parte obiecti, quin sit diuina ex parte principij. Deinde respondetur dato antecedente, quod longe verius semper mihi visum est, negando consequentiam, quia licet, in re ipsa, illa duo non separentur: tamen hoc ipsum non est nobis euidentem; & quia illæ duæ rationes formaliter, seu nostro modo concipiendi, distinguuntur, fieri potest, vt fides diuina, tanquam possibilis, sit nobis notior sub priori ratione, quàm sub posteriori, & ideo licet sit euidentem, obiectum fidei esse credibile per habitudinem ad fidem diuinam obiectum non est necesse, vt eodem modo sit euidentem per habitudinem ad fidem humanam, vt diuinitus infusam. Hoc autem intelligitur de credibilitate, vt sic dicam antecedente, id est, quæ ex parte obiecti præsupponitur ad credendum; nam consecutione quadam etiam sunt res fidei euidenter credibiles in ordine ad fidem infusam, quatenus vna propositio ex creditis est, dari in nobis fidem infusam, ac subinde illam esse possibilem; vnde fit, vt hoc sit etiam euidenter credibile, sicut cætera.

Notatio 2. da
plicis fidei
humanæ pro
est respon.

4. Simili modo distinguere possumus de Fide humana; nam denominari potest, vel ab obiecto formalis, scilicet quia in humana autoritate fundatur, & hoc modo negamus, obiecta nostræ fidei esse tantum euidenter credibilia per habitudinem ad fidem humanam. Alio modo potest fides denominari humana à principio, quia ab homine fieri potest. Quoniam verò ab homine fit actualis Fides (de hac enim præcipue loquimur) non solum naturalis, seu acquisita, sed etiam supernaturalis, & infusa; distinguendus est modus efficiendi, nam vna sit solis viribus naturæ, & hæc proprie denominatur humana. Alia verò sit principaliter virtute diuina, & homo se habet quasi instrumentum, ideoq. à principali causa diuina denominatur. Ex quo sequitur fidem nostram non fieri etiam euidenter credibilem, per habitudinem ad fidem humanam, etiam denominatam ex parte principij, sed per habitudinem ad fidem, quæ ab homine dari possit quocumq. modo, & quibuscuq.que viribus adiuto. Vnde quando in obiectione interrogatur, an hæc fides ostendatur credibilis Fide acquisita, vel infusa, vtrumq. membrum negandum est, quia ad neutrum determinatur, sed abstracte dicitur habitudinem ad fidem, quæ ab homine præstari possit, & ita facile expeditur difficultas.

Cōcluditur
ex dictis re-
sponso ad
dubium.

2. Dub. euidentem
tam credibiliter
videntem
mutilem.

5. Secundum dubium est, quomodo ex parte credentium possit hæc euidentia credibilitatis deserviri.

Suarez de Fide.

re, vel esse necessaria ad vsum credendi. Ratio autem dubitandi est, quia inter credentes, quidam sunt docti, & eruditi, qui possunt omnia motiua credendi intelligere, & ponderare, & ita consequi dictam euidentiam credibilitatis. Alij vero sunt simplices, & rudes, qui illa motiua non assequuntur; neutris autem deservire potest ad fidem dicta euidentia, ergo non est utilis ad fidem. De prioribus probatur min. quoad priorem partem, nam illa euidentia, saltem excludit libertatem in credendo: nullo enim modo fieri posse videtur, vt qui euidentem cognoscit hanc fidem esse credibilem, & secundum prudentiam credendam, in gradu à nobis declarato, scilicet vt comparatione illius, omnis doctrina contraria sit incredibilis, fieri, inquam, non potest, vt talis homo non credat ea, quæ sibi hoc modo proponuntur, neq. vt credat à tali Fide semel recepta; at vero de ratione fidei Christianæ est, vt sit libera, vt supra dictum est, & latius dicitur in disp. 6. Ergo talis euidentia impedit Christianam fidem in eiusmodi hominibus. Altera vero pars minoris de idiotis patet, nam illa euidentia consurgit ex multis rationibus, & circumstantijs, quæ à talibus hominibus, non solum non considerantur, verum etiam nec moraliter considerari possunt, vel quia non sunt instructi, vel etiam quia sæpe sunt incapaces ad tantam rerum comprehensionem obtinendam, & ideo dixit Euseb. lib. 1. de Præparat. Euangelica cap. 3. huiusmodi homines, qui aliora consequi non possunt, fide debere esse contentos; & melius August. cont. Epistolam Funda. cap. 4. In Catholica, inquit, Ecclesia, ad sincerissimam sapientiam paucis spiritalibus perueniunt in hac vita, ceteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas turissimam facit; ergo neq. his hominibus acrius ad credendum euidentia credibilitatis, imo illam in eis postulare, est eis impossibilem reddere fidem.

In primis de
doctis.

Deinde de
idiotis.

6. Hæc ratio dubitandi duo postulat dubia, vnum spectat ad personas sapientes in fide, quæ possunt comprehendere hanc euidentiam credibilitatis, & omnia illius motiua ponderare, & quoad hoc non est difficilis resolutio. Dico enim in primis hanc euidentiam non impedire actum fidei circa res sic credibiles, quia semper fides retinet suam maiorem certitudinem, ac perfectionem: nam in superioribus dictum est, etiam euidentiam veritatis, si sit inferioris ordinis, non impedire verum actum fidei eiusdem veritatis, ergo multo minus impedit euidentiam credibilitatis, quæ semper relinquit obscuram veritatem ipsam. Deinde dico, hanc euidentiam etiam non impedire, quominus assensus fidei sit voluntarius, & liber, quia cum in se non sit clarus, nunquam intellectus cogitur ad illum præstandum: deinde quia non obstante iudicio euidentie de honestate alicuius obiecti, potest voluntas non velle, vel etiam nolle illud pro sua libertate: ergo non obstante iudicio de credibilitate obiecti fidei, potest voluntas non mouere intellectum ad assensum illius, quæ est libertas quoad exercitum: imo etiam potest mouere ad assensum contrarium, seu alterius rei contrariæ. Verum est tamen hoc secundum, moraliter non fieri, nisi auertendo intellectum ab actuali iudicio credibilitatis, præsertim si iudicium sit comparatiuum, quod hoc obiectum sit credibilis alijs: potest autem hoc facile fieri, quia euidentia credibilitatis pedit ex consideratione multarum rerum, quam potest facile homo dimittere, præsertim si habeat affectum non recte ordinatum: nam hinc etiam interdum provenit, vt multi etiam capaces huius euidentie per proprium discursum, & considerationem illam non assequantur: sic ergo hæc euidentia non impedit libertatem fidei. Potest autem aliquo modo minuire illam formaliter sumptam: non tamen diminuet meritum, quia in causa præcedit integra libertas, nimirum in consideratione ipsius euidentie.

Resoluitur
dubium quod
ad doctos 1.

Disp. 3. sect. 9

2.

G 3 dentis

dentia, & applicatione ad illam, quæ semper piam voluntatis affectionem requirit.

Quoad idio-
tas quo pa-
tro Gabr. &
alii resolu-
t.

7. Altera difficultas, & obcurior est de personis simplicibus, quæ per se non valent dictam evidentiam assequi, de quibus aliqui argumento conuicti continentur, posse credere sine evidentia credibilitatis, imo interdum teneri: pro qua sententia referatur Gabr. in 3. dist. 24. ar. 3. dub. 1. Et patet quia pueri baptizati, & inter Christianos educati, cum perueniunt ad usum rationis, vere credunt, & tamen non percipiunt illam evidentiam, nec videntur capaces illius, similiter infideles, quando primum ei prædicatur fides, sine nouis miraculis, per solam rationabilem prædicationem, non percipiunt istam evidentiam credibilitatis, & tamen cum conuertitur ad fidem vere credit, alias male facerent prædicatores Euangelij, admittendo ad Baptismum eos, qui ita incipiunt credere. Denique in alijs rebus humanis non postulatur ista evidentia præsertim in hominibus indoctis, sed satis est, ut probabiliter iudicent, hoc esse bonum, vel melius: ergo etiam ad credendum sufficit probabile iudicium credibilitatis, saltem in his qui evidentiam assequi non possunt. Vnde iuxta hanc sententiam, quando dicitur evidentiam credibilitatis esse necessariam ad fidem, intelligendum erit, respectu corporis Ecclesiæ, non vero respectu singularum personarum eius, & hæc opinio fortasse probabilis est.

Probatior
resolutio.

Sua ratio.

8. Nihilominus existimo nullum hominem præbere verum, & perfectum assensum fidei Christianæ, nisi prius aliquo modo assequatur, vel participet hanc evidentiam credibilitatis, quod docuit Caiet. 2. 2. q. 1. ar. 4. & sequuntur ibi moderni Thomistæ, præsertim Aragón. & Cumel. 1. p. disput. 1. dub. 2. conclusione 4. Neque Gabr. contradicit, ut statim dicam: conuincor autem ratione supra facta, quod iudicium credibilitatis debet esse certum, ut ad fidem certam, & indubitatam inducat. Neque si quis potest prudenter dubitare, vel formidare de credibilitate obiecti, poterit etiam de ipsa fide dubitare, aut formidare, & ita non erit fides perfecta, & Christiana: iudicium autem credibilitatis non potest esse certum, nisi sit evidens, ut supra etiam ostendi: ergo in quocunque vere credente, debet supponi tale iudicium. Quocirca si quis credat ante iudicium certum, & evidens credibilitatis, concipiet quandam fidem humanam de rebus diuinis quæ interdum potest esse prudens, & honesta, non tamen concipiet propriam fidem Christianam, id est omnino certam & immutabilem, quia stante sola probabilitate, & prudentia in illa fundata, posset quis propter maiorem probabilitatem de nouo apparentem iudicium prudentiæ mutare, & consequenter fidem, vel de illa prudenter dubitare, quod de vero assensu fidei nullo modo admittendum est. Adde tamen ad respondendum objectionibus, & difficultati propositionis, hanc evidentiam non esse æqualem in omnibus, nec eodem modo esse postulandam in simplicibus credentibus, ac in sapientibus: nam isti per se illam percipiunt penetrando eius media, & principia, illi vero in fide, & traditione Ecclesiæ, & sapientum illam participant: nam illis satis est, quod videat sapientissimos viros, & multitudinem Christianorum hanc fidem amplecti, ut iudicet, & infallibilē, & quod audiant illam esse confirmatam multis miraculis, & quod hoc fiat illis moraliter, & humano modo certum, ac denique quod intelligant, talem doctrinam esse consentaneam rationi: nihilque contrarium in illa inueniant; nam hæc sufficiunt, ut respectu illorum fiat doctrina Fidei euidenter credibilis.

Amplius de-
claratur.

9. Adde denique, si contingat exteriorem prædicationem Fidei, & propositionem, non esse sufficientem, ad formandum iudicium, ita firmum, & euidentem de credibilitate Fidei, vel absoluta, vel compa-

rata cum alia doctrina: tunc per diuinam inspirationem, & vocationem internam, posse compleri huiusmodi credibilitatem, ita sumo ex D. Tho. quodlib. 2. ar. 6. ubi dicit quod, si ordinarie Fides fiat credibilis per miracula, & alia externa signa, nihilominus sine illis posse Deum per vocationem internam propositionem complere, iuxta illud Ioan. 6. *omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*, imo potest, inquit, talis esse interna vocatio, ut teneatur homo non resistere, sed fidem adhibere: iuxta illud Iaiæ. 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, & adhuc modum reprehensus est Zachar. Luc. 1. eo quod Angelo annuntianti filij conceptionem, non statim firmam fidem adhibuerit, sed dubitaret, nam credendum est, cum illa externa locutione, adfuisse internam inspirationem, quæ faceret rem sufficienter credibilem; nam de sola externa posset interdum dubitari, cum *Angelus Satana transfigurer se in Angelum lucis*. Et eandem sententiam videtur mihi docere Gabr. loco citato, dum ait in huiusmodi euentu, quando exterior doctrina veritatis non fit euidenter credibilior, quam opposita, si homo faciat quod in se est, non defuturam diuinam inspirationem, per quam homo possit certus reddi de credibilitate veræ doctrinæ: quia Deus non deficit in necessarijs, & tunc illa illuminatio interior necessaria est, & potest esse non solum sufficiens, sed etiam efficax, ut per se notum est.

10. Ita patet responso ad rationem dubitandi in contrarium: nam licet simplices homines, per se non sint capaces huius evidentie immediate, ut sic dicam, & speculative deductæ ex suis principijs, & motiuis: sunt capaces eius mediante Fide humana de miraculis, & alijs testibus, & testimonijs huius Fidei, & iuuari possunt interna Dei illuminatione, ut dixi: & ob hanc causam prædicatores Euangelij, qui versantur inter infideles, & catechizant adultos noue conuersos, non male faciunt, illos admittendo ad Baptismum post sufficientem instructionem, debent autem imitari Philippum, qui, postquam instruxit Eunuchum, & ille interrogauit, anliceret se baptizari, respondit, *Sicredis ex toto corde*, sicut: pondero enim ibi particulam, *ex toto corde*, per quam postulauit fidem super omnia iuxta phrasim Scripturæ atque a deo omnino certam: hanc ergo fidem debent postulare huiusmodi prædicatores à nouiter conuersis, & illos ita instruere, partim docendo, partim excitando ad postulandum diuinum auxilium, ut possint illam concipere: & tunc credere possunt, & debent illis dicentibus se ita credere, & consequenter illos baptizare, sicut Philippus fecit.

SECTIO SEXTA.

Utrum hac evidentia credibilitatis ex lumine fidei oriatur?

Difficultatem in hoc puncto facit D. Thomas 2. 2. q. 1. ar. 4. ad 3. & ar. 5. ad 1. ubi ait *lumen fidei facere videre obiecta fidei esse credenda*, ubi Caietanus quem alij moderni Thomistæ sequuntur, ita hoc intelligit, ut dicat iudicium euidentem, de obiecto Fidei sub ratione credibilis, elici à lumine Fidei: idem sentit Ferrar. 3. cont. gent. c. 40. Probat primum, quia videtur dicere actum euidentem, & clarum, sed lumen Fidei facit videre: ergo facit actum euidentem, & non de veritate obiecti: ergo saltem de credibilitate. Secundo hoc confirmant, quia omne lumen manifestat aliquid clare, & euidenter, iuxta illud ad Ephes. 5. *omne, quod manifestatur lumen est*, sed Fides est quoddam lumen: ergo aliquid manifestat euidenter, & non sub propria, & specifica ratione: ergo saltem sub generali ratione credibilis, sicut lumen visibile imperfectum, & remissum quod non potest manifestare obiectum sub ratione albi, aut nigri, saltem manifestat sub ratione colorati. Tertio omnis actus potest distinguere suum obiectum ab omni alio quod non habet rationem talis obiecti: ergo & fides potest

Cōcluditur
resolutio du-
bi quoad
idiotas.

Affirmant
Caiet Ferrar. & quidā
moderni.

Eorum mo-
dum i. ex
D. Thomæ
2.